



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punctum Diff. 1. An Proprietates absolutæ constituent Personas?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

TRACTATUS V.

De Deo ut Trino.

*Tractatus hic duas partes habebit; Primam de quæstionibus selectioribus Scholastici merè
usus; Secundam contròversa materiæ.*

DISPUTATIO IX.

De Quæstionibus Scholasticis hujus
materiæ.

*Personæ, & Processiones maximam difficultatem habent, & ex illis faciliè
reliqua inferuntur.*

QUÆSTIO I.

De Personis.

Quid sit Persona, explicatum in Metaphy-
sica, suffecerit scire illam Boëtii definitio-
nem, quod persona, sit naturæ intellectualis, in-
dividua substantia.

DIFFICULTAS I.

*Quodnam sit Constitutum
personarum?*

Appellat hanc præcipuam in tota quæstio-
ne difficultatem Vasq. hic d. 158. Divisi
sunt hac in parte Auctores Catholici. Aliqui
dicunt constitui personas absolutis propieta-
tibus, qualis fuit Guilielmus Parisien. apud
Ruiz d. 83. n. 1. Joannes de Ripa. Favet etiam
locutus in i. d. 26. p. 1. §. tertia opinio. Aliqui
etiam citant pro ea Lichetum, & Linconien-
sem. Alii dicunt constitui personas aliquo re-
lativo, quod ipsum variè explicatur, ut videre
est post alios apud Amicum d. 20. à n. 42. & a-
pud Vasq. cit.

Punctum Difficul-

tatis 1.

*ut Proprietates absolutæ constituent per-
sonas?*

Respondendum est. Proprietatibus absolutis non
constitui personas. Est communis, & op-

posita graviter censuratur, ut videre est apud
Ruiz, qui nostram Conclusionem docet cum
Suar. l. 7. c. 5. Vasq. cit. c. 3. Amico cit. n. 32.
Arriaga d. 51. n. 17. Joanne à S. Thom. hic d.
16. & aliis.

PROBATUR I. Auctoritate. 1. Auctoritas
fit PP. August. l. 5. de Trin. c. 2. *Quæcunque
ergo ad se* (intellige secundum Aristotelem ab-
solutè) *dicuntur, non dicitur alterum sine altero;*
hoc est, est commune, adeoque personam non
constituens. Damascenus i. de Fide c. 11. *Nos
unum agnoscimus Deum, in solis quidem propieta-
tibus paternitatis, filiationis, & processionis diffe-
rentiam intelligentes;* jam autem non in his tan-
tùm proprietatibus differentia intelligeretur, si
aliquo absoluto personæ constituerentur. Boë-
tius lib. 1. de Trin. *Sola, inquit, Relatio, multipli-
cat Trinitatem.*

2. AUCTORITAS Conciliorum Lateran.
Firmiter, docet, Trinitatem esse discretam per
proprietates personales. Floren. Sess. 18. *Rela-
tio apud omnes tam Græcos, quàm Latinos PP. perso-
nas multiplicat.* Tolet. ii. in Confess. fidei. *Er-
go hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem
sunt, & in hoc numero, carent, quod in se sunt.*

RESPONDEBIS ex Vasq. his Auct. probari,
quod distinctiones inter Divinas personas ex
proprietatibus absolutis non oriuntur: sed non
probari, quod relationibus constituentur, præ-
cipuè cum non sit idem principium constituens,
& distinguens.

CONTRA est. Tum quia, quidquid sit, an idem sit constituens principium & distinguens; nihilominus Locutiones PP. allatae, ostendunt, quod constitutiva, non possint esse nisi relativa; sequeretur enim, quod non sola relatio multiplicat Trinitatem, si eam constituentia, sunt absoluta. Tum, quia aliqui PP. expresse docent; Relativo constitui personas. Cyrilus Alex. Dial. de Trin. l. 2. col. 5. *de Forma Baptismi, In nomine Patris, &c. Collegit, inquit; & prae aliis praeposuit nomina distinctissime nobis constituentia uniuscujusque significati propriam existentiam.* Basilion. de unione c. 6. cum praemississet realem identitatem relationis, & originis, inquit; *utroque quidem modo distinguuntur Divinae personae; prius tamen & principaliter secundum modum intelligendi per relationes, per quas etiam constituuntur Divinae personae,* Joannes Theol. in Concil. Flor. Sess. 19. dicit; *Personas relativis proprietatibus, & essentia constare,* quod idem est ac illis constitui.

PROBATUR 2. ratione sumpta ex Vasq. cit. c. 5. Principium quod constituit aliquid, non potest esse id, quod ipsi commune est cum aliis, sed id quod sibi proprium est; hoc enim determinat, id quod est commune, ad esse talis; ac proinde in ratione talis, constitui dicitur; & ita etiam spiratio Activa non constituit personam; quia est communis Patri, & Filio; sed quidquid est absolutum, est commune omnibus personis, & si quid est peculiare alicui personae, est relatio: Ergo. Pro Minori stat axioma sumptum ex Anselmo. *In Divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio.* Et ex Damasceno. 1. de Fide c. 10. & ex Aug. 5. de Trin. agente; *Quidquid ad se & non ad aliud dicitur, ad essentiam pertinet.* Unde ulterius Ruiz cit. sect. 4. sic urget, si dicas formalitatem absolutam constitui v. g. Patrem, jam haec formalitas constitutiva patris non poterit convenire filio, paterque non erit per omnia prorsus idem cum filio, praeter esse patrem, siquidem praeter esse patrem, restat illa formalitas absoluta. Pergit Vasq. si Divinae personae habeant proprietates absolutas per quas constituentur, vel cum illis habent etiam relativas, vel non? Si non habent, ergo Patres illas immerito ponunt in Divinis; Si habent, ergo non sunt necessariae ad constitutionem mysterii, sed tantum se habent sicut inter patrem & filium creatos, excepta ad summum differentiam accidentis, & substantiae; ponere etiam in singulis personis duplicem proprietatem esset novitas.

PROBATUR 3. Illa proprietas & esset absoluta, & non esset; esset quidem, ut supponitur; non esset autem, quia ista proprietas v. g. in patre esset origo activa, in filio origo passiva, vel quid simile; haec autem non sunt absoluta; quia in suo genere ita se habent, ac se habent in suo,

causa & causatum, principium & principiatum &c. sed haec sunt relativa; Ergo.

Deinde illa absoluta vel essent virtualiter distincta ab essentia, vel non? Si non, ergo communicata essentia communicarentur, jamque unaquaeque persona haberet constitutiva trium personarum, essetque unaquaeque tres personae; sicut habendo aliquis constitutiva hominis, est homo: Si autem illa constitutiva essent virtualiter condistincta a natura; quaero, adhucne ab ipsis relationibus essent virtualiter condistincta, vel non? Si virtualiter condistincta, ergo non multiplicabunt personas, quia illas Relationes multiplicant per PP. si autem non sunt virtualiter distincta a relatione; hoc ipso in sensu materiali etiam relationis formalitas constituit personas: Cur ergo etiam in ordine ad nostras intentiones ratio referibilis non constituet easdem?

Deinde pro illo priori, pro quo intelliguntur esse illa constitutiva, & nondum advenire formalitates relativae, jam sufficienter distinguere inter se personae, superfluaque esset distinctio ratione formalitatum relativarum, quod est contra phrasen Patrum.

Denique suppono esse de fide, quod tres sint Trinitatis personae, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus; tunc quaero, Haec personae, vel sunt relativae, vel absolutae? Si relativae, ergo absoluta non possunt esse de primo earundem conceptu, adeoque nec illarum constitutiva, ut suppono ex Logicis: Si autem non sunt illae personae relativae; Ergo ratio Filii, ratio Spirati non sunt rationes relativae: quod si asseras, nulla erunt verè relativa.

OBJICIT I. Scotus apud Vasq. Id quod refertur, est prius relatione: Atqui in Deo essentia non refertur. Ergo persona, quae debet referri, prius est; quam relatio: Ergo relatione non constituitur, sed aliquo absoluto.

RESPONDET I. Vasq. Majorem esse veram, de relationibus creatis; non autem increatis. Ratio, quia cum Relationes Divinae sint substantiales & subsistentes, ipsis ita substantialiter completur essentia, & determinatur ad rationem personae, ut per eam substantialiter constituatur persona, simulque substantialiter ad aliam referatur. *Hec Responsio*

NON SATISFACIT. Tum, quia videtur petere principium; assumit enim quod per relationes substantialiter constituatur persona; & simul referatur, de quo ipso quaeritur, quomodo per illam substantialiter constituatur persona? Tum, quia concessio, quod Relationes Divinae sint substantiales & subsistentes; quaerere restat, cur in illis, id quod refertur, non sit prius relatione? Tum, quia ut infra videbitur, rationes probant, quod Relatio, etiam in Divinis, non terminetur ad Relationem.

RESPON-

RESPONDETUR aliter; Concedendo, quòd Relationes non constituentur personas: Concedendo, quòd non constituentur absoluto, & adterendo medium, nempe quòd constituentur referibili, & respectivo.

OBJICIT 2. Idem. Omne compositum supponit partes componentes & unionem ipsarum; E. Relatum supponit rem, quæ refert relationem, & unionem utriusque; id autem quòd refertur in Divinis est persona; Ergo prius est persona quàm referatur.

RESPONSUM jam est. Prius esse personam, quàm referatur actu, sed non esse prius, quàm sit referibilis.

OBJICIT 3. Omnis relatio realis supponit extrema realiter distincta, & constituta; ac proinde ipsa non constituit, neque distinguit personam.

RESPONDETUR. Omnis relatio realis, supponit extrema realiter distincta, si ipsa relatio intelligitur, quæ & ut quo, & ut quod referatur; Conc. si sit talis; Neg. Imaginare hoc, quòd negatum est in Logicis, quòd una relatio fundet aliam, tunc relationes inter se relata, quæ tales non supponunt extrema absoluta, quæ referantur; sed ipsæmet referuntur; licet non competat hoc illi relationi, ut jam dictum est, quæ formaliter relatio est, sed quæ virtualiter non distinguitur à ratione referibili.

Conformiter ad dicta supra, concedo, quòd relatio supponat personam constitutam, nec eam constituat; inde tamen non sequitur contrarium eam absoluto, cum possit constitui referibili.

OBJICIT 4. Relatio ut relatio, est ad aliud; Ergo paternitas est ad aliud, ergo est ad aliud vel filiatione distincta, vel aliquo alio? Si paternitas est ad aliud solâ filiatione distincta; Ergo si aliquis vellet probare in Deo non esse relationem realem, hoc modo deberet probare: Hæc Relatio non est ad aliud reale, ergo non est realis; esset autem manifesta petitio principii; quia perinde esset dicere, non est ad aliud reale, atque dicere; Hæc relatio non habet aliam relationem realem oppositam; inde autem non rectè quis inferret, ergo non est realis.

RESPONDETUR. Relatio est ut quo, non ut quod ad aliud; consequenter non debet per aliud referri; hoc autem, quòd, ut quod refertur, non est relatio, sed referibile. Sed quidquid sit de hoc; Id quòd principaliter assumit, nempe dicto arguendi modo peti principium, non convincit; quia assumptus medius terminus faceret hunc sensum; Hæc relatio non habet aliam realem relationem oppositam, ad quam referatur; cum ad nihil aliud referri possit, ratione cuius additi non petitur jam principium, rectèque procederet argumentatio.

OBJICIT 5. Idem. Relatio est veluti for-

ma personæ Divinæ, quatenus persona est; omnis autem forma prius intelligitur, quàm res cuius est forma, & quam constituit; Ergo prius intelligitur paternitas, quàm persona patris; atqui paternitas nequit intelligi sine filiatione; Ergo filiatio intelligitur ante personam patris; quomodo ergo filiatio resultat ex generatione, quæ provenit à patre? siquidem ante personam patris intelligitur.

RESPONDETUR. Neg. In nostris principiis constitui personam Relatione ut forma, quòd supponit objectio; consequenter non sequitur filiationem intelligi, ante personam patris.

Sed reliqua etiam argumenti non concludunt; quia quamvis paternitas prius intelligatur quàm persona patris, & licet paternitas pro illo priori non intelligatur sine filiatione, sed cum illa; licet item verum sit, quòd filiatio resultat ex generatione; hoc tamen quòd additur; Generatio provenit à patre, non hoc sensu est verum; quasi scilicet præsupponatur prius esse pater quàm genuerit, vel ideò generare, quia est pater; sed provenit à patre, quia ultima completio denominationum principii illius habetur, quando habetur denominatio patris; sicut etiam in creatis filiatio resultat ex generatione, quæ provenit à patre; non quòd esse patris supponatur ante generationem, sed quòd tota illa ratio denominationum, ultimò compleatur, per esse patris: erit ergo generatio à patre non formaliter, sed completè accepto.

Ad alias objectiones solvendas.

NOTO 1. Quòd principio constituenti speciem, non repugnet dividi per plures species, & communicari, hoc sensu, quia scilicet potest dari ratio communis abstrahibilis ab illis constitutivis; nam hoc competit etiam ultimis differentiis individualibus, & competet, quamvis absoluta constituerent personas, sed ita constitutivis non competit communicari per identitatem: Implicat enim sicut unam personam in ratione personæ esse idem cum alia, ita implicabit constitutivum unius personæ, esse constitutivum alius personæ. Unde ulterius negatur, quòd constitutiva personarum per rationem, debeant esse simplicia per rationem; hæc enim simplicitas repugnat formalitati constitutivæ: Ratio, quia illa constitutiva necessariò debent involvere rationem communem Entis, & rationem talis; consequenter illud constitutivum non erit simplex etiam per rationem; hoc tamen concedi posset, quòd sicut ultimæ differentiæ reduplicativè acceptæ non habent rationem communem, sed non nisi materialiter acceptæ; ita & illæ differentiæ.

NOTO 2. Quamvis omne producat prius sit, quam productum, & quamvis priusquam intelligatur actu producat, jam sit persona, quæ non potest esse constituta relatione; hæc enim confurgit ex productione; non sequitur illas constitui absoluto, datur enim medium nempe referibile.

Unde ulterius, nihil aliud erit in re, & virtualiter patri producere, quam habere filium; quia tamen habetur aliquid ex modo concipiendi fundato in re, vi cuius habetur aliquid in origine, quod non habetur formaliter in relatione; nam originatione præsupponitur ante relationem, ideo non frustra ponentur origines; licet ipsa etiam relatio, utpote secunda in Deo, & indistincta virtualiter ab origine, sit etiam originativa.

Hinc concedimus prius produci in creatis absolutum, quam confurgat relatio: nam ad relationem non est per se motus ex 5. Phys. t. 10. negatur tamen, quod persona quæ producitur, prius sit absoluta, quam referibilis; & quod ad referibilem, non possit per se dari motus, præcipue cum illud referibile, sit per se subsistens, & per se Ens.

NOTO 3. Omne suppositum quod est principium operationis, seu productionis, intelligitur ante operationem, quia prius convenit rei esse, quam operari: unde priusquam intelligatur sub relatione producentis, intelligitur constitutum non relatione, non absoluto, &c. sed referibili.

Punctum Difficultatis 2.

Relatio apud alios, sub qua formalitate constituitur personam?

Maximè laboratur circa personam Patris ex rationibus dubitandi à Scoto allatis, & infra tangendis. De aliis personis non est tanta difficultas, quia productio passiva, potest dici constitutivum proportionale aliarum personarum, ad quam postea consequitur relatio, quæ ipsa productio passiva, non est relatio formaliter, sed referibile ut quod, unde ad illam potest per se dari motus & productio. *Hoc punctum*

EXPLICAT I. Cajet. in Comment. hujus quæst. a. 4. dicitque relationem dupliciter spectari posse.

1. Ut exercet officium referendi, & sic jam non constituit personam patris, quia sic sumpta supponit jam terminum, qui est filius; unde jam cum suppositione filii constitueret patrem, neque jam pater origine esset prior filio, siquidem illius constitutivum jam diceret filium.

2. Potest concipi sub expresso conceptu pa-

ternitatis, non ut exercet munus relationis, sed ut habet formalitatem conceptæ: hoc posteriori modo sumpta constituit paternitatem, non verò priori modo. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Tum, quia videtur petere principium; quæritur enim de constitutiva forma patris, adeoque de conceptu formando paternitatis, quomodo formatus, constituat personam? non ergo responderi debet per conceptum paternitatis; quia de hoc ipso quæritur, quis sit? Tum, quia ratio ut quo, in illo genere non potest concipi sine ratione ut quo illius generis, alias conciperetur sine se ipsa; jam autem relatio est ratio referendi ut quo; Ergo sine hac concipi non potest; Ergo non potest concipi, quin exerceat munus relationis: quia hoc munus non aliud est; quam ipsa ratio referendi, ut quo. Deinde sicut impossibile est, concipi par, & non concipi unum, & unum; ita impossibile est concipere relationem, & non exercentem munus relationis: quia sicut par definitur per unum, & unum; ita & relatio, per rationem referendi, seu per exercitum munus relationis. Tum, quia constitutivum personæ debet prius intelligi, quam generatio, vel generare; Si enim posterius est, hoc ipso non jam persona generabit, utpote nondum constitutiva, sed generabit natura; quod absurdum est: quia ergo paternitas non est talis, quæ prius intelligatur, quam generare; non enim ideo aliquis generat, quia est pater; sed ideo est pater, quia generat, sit, ut paternitas etiam ut concepta, seu prout intelligitur, non possit esse constitutiva personæ. Denique ipsa paternitas vel ut concepta, vel ut exercita, est constitutiva personæ patris? si ut exercita; Ergo etiam relatio ut exercita constituet personam patris; Si autem ut concepta, deberet ostendi, quid desit, ne ut exercita id præstet? & si relatio ut concepta, explicatur per aliud, nempe per formalitatem paternitatis, ut ita distinguitur sibi ut exercita; etiam paternitas per aliquid explicari debet ut concepta, ut ita distinguitur sibi ut exercita; de qua ipsa formalitate, quærendum restabit, an ut concepta, an ut exercita constituat patrem? redibitque argumentum, & quodammodo processus in infinitum.

EXPLICAT 2. Suarez cit. cap. 7. Ruiz cit. à sect. 2. Amicus cit. n. 59. & alii, qui docent relationibus secundum propriam rationem relationis constitui Divinas personas. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Quia ut mox dicetur, in naturale aliquid invehit, ut scilicet non ideo aliquis sit pater, quia generat; sed ideo generet, quia est pater; cum ante generationem præintelligatur constituta persona, quæ dicitur constitui paternitate; ex alia etiam parte hæc doctrina non fulcitur Auctor. PP. aut valida